

Ihs

dominica

in octava

pasche tit

14 III

Nh
1236



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

De 7

T. 0
II. 0
III. 0
IV. 0
V. 0
VI. 0
VII. 0
VIII. 0
IX. 0
X. 0
XI. 0
XII. 0
XIII. 0
XIV. 0
XV. 0
XVI. 0
XVII. 0
XVIII. 0
XIX. 0
XX. 0



GRATVLATIO

In Natalem primum

D. RODOLPHI,

QVINTI EIVS NOMINIS
ASCANIAE PRINCI-
pis, &c.

ILLVSTRISSIMI

PRINCIPI, AC DOMINI,
DOMINI IOACHIMI ERNESTI,Principis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, Dominiq̃ue
Sergeſtæ & Bernburgi: &c. Domini ſui clemen-

tiſſimi, quinti Filij: Nati Harzgerodæ,

V. Calend. Novembris, ferijs Si-

monis & Iudæ, Hora Po-

meridiana octava.

Anno, quem cygnæ Moſis cantio notavit
hoc verſu: Deut. 32.Forſ Vastabit Implos gLaDIVs, & IntVs
paVor.

M. WOLEGANGI AMLINGI

Munerſtadij Fr. Sergeſtæ ad

Nicol. Paſtoris.

ANNO DOMINI

M. D. LXXVI.



EΥΦΗΜΙΑΣ ΜΕΤΡΟΝ.

SI quid habes mea *MUSA*, jubet pietasq̄, fi-
desq̄,

Ascania HEROI pangere vota novo,
Nil sed habes, *CHRISTI* nisi flaminis aura, sacratæ
Inspiret fidei carmina tincta sale.

Ergo tuum supplex, ô sacratissime *CHRISTI*
Spiritus, indubia numen adoro prece:
Sis presto, & nostre pia dirige vota *Thalia*,
Ut tibi, & *Heroi* convenienter eant.

Nimirum patrii genus argumenta favoris (*TRIAS*.
In nostrum cumulat *TER BENELECTA*
Et trepida quamvis genti non omnia desint
Læva, quibus lævos vindicis ira premit:
Non tamen ardentes patrio de pectore storgas
Exiit is, qui nos scit genus esse suum.
Sed turbas inter medias bonitate coronat,
Ceu clypeo tectos, in gremioq̄ sovet:
Atq̄ modis miris servat, regit, evehit, ornat,
Quot quot habent Christum, spemq̄, fidemq̄ suam.

Terrores hodie sic inter & arma ferocis
Turci, barbarica qui feritate furit.
Inter & infestas lethali peste sagittas,
Quis DEVS ut curva corpora falce metit.
Adde tot in CHRisti regno contagia morum,
Et fidei, qua sunt fons, caput, ansa mali.
Dum quos Relligio, Christi quos junxit arena,
Et quibus ut Vitulis sanctus aratur ager:
Eheu suspicio dirimit, cacoëthes & agri
Secli, cui manuum foeda lacuna sapit.
Tot casus inter, varia & discrimina rerum,
Dum caput IMPERij fata suprema subit:
Dum vitæ satur humana, fascesq; gerendi
Pertesus CAESAR MAXimus astra petit;
Vndiq; dum tristi quatitur RESPUBLICA forma:
Dum gregis oblitus CHRiste videre Tui:
Ecce nova, ecce nova fama percellimur aua:
Vivere, qui nequeat deseruisse suos.
Indubia jubeor fideiq; capescere signum:
ASCANIA quintum vivere stirpe satum.
Fausta nec ò toties optatis Omina rebus
Desunt: respexit gratia sera preces.
Ipse novem memini vix circumvolvier annos,
Cum tali nusquam flore viteret ager.

Sapius

Sapius & mæstos cruciaret cura parentes,
Quem regni vellet sceptrum tenere DEVS.
Sed tandem iunctis ardenti pectore votis,
Qua sola omnipotens vincitur arte DEVS:
Vim, Pater alme, tibi luctando iniecimus illam,
Qua vis nulla tibi gratior esse potest:
Ut compensaris largo cum scenore fletus,
Testatur nostra quam placuere preces.
Tamq̃ breves intra, patria donaveris, annos,
Ascania cretos sanguine quinq; Duces.
Quis neget ergo, Tui, domus Ascanis inclyta, curam
Sollicitam SVMVS quin Pater ipse gerat?
Hos siquidem gemitus nostros exaudiit idem,
Nec venia tantum, sed cumulat vit ope:
Quid dubitamus adhuc, nos hoc in turbine retū
Quin foveat, curet, protegat, ornet, amet?
Ergo, quod officii nostri est, obeamus, & alta
Mente reponamus tot benefacta Dei.
Id sed agens, oro veniam vos sanguine cretos
Ascania affandi carminis alloquio.
Gratantes comitabor enim, iusto ordine fratris
Versibus ad cunas, excipiamq; preces.
En mihi jam videor prasens audire decentes
Gratantum voces, signaq; letitia.

A 3

Qua

I.
IOAN-
NES GE
ORGI-
VS.



*Va pietate decet, TE IANE saluto GEOR-
Qui patrum magni nomen habes, & avi. (gi,
Maximus es natu, quam te natura modestum*

Formavit, patria tam pater aptus eris.

Gentis ut Isacida dux servabatur in undis,

Sic qui TE genuit. DILVVIVM annus erat.

(Ast pater o flat DoMIne otVasana VoLVntas:)

Scilicet hac superant mystica DILVVIVM.

Hac igitur fratri grat abere voce decenter:

Regius ecce tuo profluit ore sonus.

FRATER, ais, mihi gratus eris nos gratia CHRIS-

Sanguine conjunxit: LAVIT & ipse suo. (STI

Nil magnum, quod non placidum sit, & aspera vitet:

Vt mihi, sic placeat vita modesta tibi.

Sis cultor Christi pius, observator & aequi,

Nec vitam macules asperitate tuam.

Sic mecum quondam, CHRISTO duce, pace fruere is,

Atque gubernaculi florida sceptrum geres.

Inflatos fortuna fugit, sed gloria mites

Evehit, & pietas tollit ad astra pios.

Interea sancti repleat te flaminis aura:

Sic miserentis opus, vasq; salutis eris.

II
CHRIS-
TIA
NVS.

Pone gradus sequitur IANI nunc proximus Heros,

Cui micat ex oculis cum gravitate pudor.

Incluta

Inclyt a spes patria, lateri qui semper adheret
Fratri, & eximium nominis omen habet.
Namq; gerit pulcrum CHRISTI de nomine nomen,
Miscet & infanti talia vota novo:
In CHRISTI, per quem vitali vesceris aura,
Cresce fidem: CHRISTI nos decet arma sequi.
Quicquid agis, CHRISTI presta te milite dignum,
Salvificam retinens cum pietate fidem.
Hec, ait, Ascanidum praclara est REGULA vita:
Hanc Praeceptoris suggerit alma fides.
Iam BERNARDE tuas ago partes: patruus olim
Qualis erat, talem te fore spero DVCEM.
Nomen habes PATRVI, Virtutis & indole praestas
Maeste puer, vita semina clara trahis.
Scilicet instructus sic excipis ore novellum,
Suffususq; facis verba rubore genas:
O salve, in CHRISTI qui me comitaberis hortum:
Expectate venis, perpete flore vive.
Dulcis, dulcis eris nostra fratercule vita
Collusor faveat TE pia dextra DEI.
Dixit, & arridens matri pia suavia libat,
Exiliensq; serit cognita vota DEO.
Sed quibus eloquiis, nequeunt quae carmine dici,
Effabor, minimè praterenda tamen?

III.
BERN-
ARDVS.

Nam



Nam sic dum gestis arrectis auribus asto,
Et celeri calamo singula verba noto:
Heu mihi quàm suavis graditur chorus ordine longo
Ad teneri cunas Principis Ascania,
Phœbus adest Patris ^{λόγος}, aligerumq; phalāges:
Sacra novenarum Pieridumq; cohors.
AVGVSTVM in medio puerum, parvasq; sorores
Adducunt Hagnen, Dorotheenq; manu.
Ascanidum Charites Dominarum pone sequuntur
Tres reliquæ, ut, pictæ labra pudore, ROSAE.
Incipit AVGVSTVS risu cognoscere FRATREM,
Infantiq; infans figere sua violam.
Instituunt MVSÆE dulci modulamine carmen,
Cœlituum mixtis vocibus, atq; TVBIS.
Nectar, & ambrosiam redolebant aurea templa:
Nec fas cunarum commemorare decus.
Vnum illud memini: texebant quinq; sorores
Ascanides fratri ferta tenella novo:
Astat Apollineum decus, & fragrantia tura
Offert, commendans sacra Lycea duci.
Cingit & Vranie puerilia tempora lauro,
Vivacisq; oleæ frondibus illa tegit.
Pallas Olympiaca subster nit symbola palma:
Aligerum cunas agmina sancta fovent.

IV.
AVGV-
STVS.

Hos

Hos inter puer **AVGVSTVS** crepitacula fratri,
Thesavros offert, deliciasq; suas,
Dorothea puppas addit, viridesq; corollas:
Augustus calamos, aureolos & equos.
Hinc **CHARITVM** chorus acclamat ter voce decora
Et Graios Latius temperat arte sonos:

Χαῖρε παῖ, χερσὶς δὲ γῆρας χριστοῦ ἀνακτὸς
Παῖς, ὃς ἐπὲρ παύδων σμικρὸς ἔγεντο παῖς.

Inclyte cresce puer, fidus **CHRISTIQ;** minister
Fac sis, pro **TE** qui gestiit esse puer.
CHRISTVS at humana vitæ reparator, & autor,
Astat, & in fœdus suscipit ipse ducem.
Viq; ratum sit fœdus, aquis ter mergit a vitis,
Lustratumq; sacro vivere fonte jubet.

Vive, ait, inq; meum pius esto **RODOLPHVS** honorē:
Fœderis hoc faustum nomen & omen erit.

V.
RODOL
PHVS.

Quintus es ut fratrum: sic inter & ipse Rodolphos,
Ascania cretos sanguine, quintus eris.
Te nascente subit titulos, & sceptras **RODOLPHVS**
Imperij: Austriaca perpete stirpe satus.
Sis nostri servans pacti, legisq; volumen
Ingenua quondam volve, revolve fide.
Et cum militia florebis, ut annuit ather,
Ac bene consultans auxiliator eris:

B

Tum

Tum patria pater, & nostri gregis inclytus hospes,
Fidus & assertor nominis esto mei.
Sic longævus eris, cœliq; receptus in arcem,
Ante Patrem stabis saluus, & ante thronum.
Dixit: & ingeminans amplexibus oscula miscet,
Particulamq; aura fundit ab ore Deus.
Si quibus in speciem deducto carmine parvas
Micas, nec magni ponderis acta cano:
Nil moror. Insanus Naso suspendat ut orbis:
Sunt tamen ista DEO carmina grata ^{ἀγαθὰ}.
Nec vitio quondam dabis ILLVSTRISIME prin-
Quod me cum pueris serpere cernis humi. (ceps,
Ut pueri regnum Patris ingrediamur oportet:
Ad cœlos reliquis ianua nulla patet.
Nunc in vota tuum Pater, optime maxime, numen
Invoco, & hic finis carminis esto mei.
In quot, & in quantos labyrinthos ferrea secla
Nos, PATER, abripiant, precipitentq;, vides.
Regna pavent, Europa tremit, quatit oppida terror,
In nostros penetrant publica damna LARES.
Quodq; est his gravius: passim maectantur, ut agni,
Sincera CHRISTVM turba professa fide.
Proculcantq; sacras tabulas, oracula VERBI:
Et variis vendunt somnia picta dolis.

Haectenus

Haecenus immani quàm Pappa, Vicarius orci,
Sævit in CHRISTI viscera strage lupus.
Polluit idolis aras, & sanguine terras:
Instar apri cultos undiq; vastat agros.
Astragalis pueri, gens ludit adultera pactis:
Atq; pari violat fœdera fraude Dei.
Interea nostris inhiat GETA Barbarus arvis,
Et lateri incumbit iam propè sæva cohors:
Sed quotus hæc tandem solerti mente revolvit?
Proh dolor, ad NEMESIN corda prophanastupēt.
Te, pater, ergo tui supplex per vulnera NATI
Posco: sub alarum tegmine parce gregi.
Nos converte tibi, flammæ ne vindicis ira
Impietas capiti concitet ipsa suo.
Stirpis Anhaltina nunquam te obliviam captent:
Sis CAPVT, & RECTOR sanguinis Ascanii.
Inprimis fidei coalescant pectora FRATRVM
Vnanimi, faxis, lege, & amusse, PATER.
Haud bene conveniunt: Vana est concordia FRATRŭ:
Ni pietas animos copulet, atq; FIDES.
Sæva nec admittunt odiorum semina FRATRES,
Quorum animos CHRISTO copulat una FIDES.
Ergo procul nostris furias præsepibus arce,
Et bene compositam, CHRISTE, tuere fidem.

Sit VERBUM purum, sint pura sigillaq; verbi:
Floreat ASCANIDVM gloria, nomen, honos.

Δόξα τῷ Θεῷ.



ῬΩΔΟΛΦΟΣ Ο ΠΕΜΠΤΟΣ.

Acrostichis ὀνομαστικὴ gratulatoria ejusdem.

Ῥωδολφόν σε ποιῆς Ἰπικλείσιν ἀγαυοί,
Ω κόρε, Ἐχώρας ποιμὲν Αναλδιὰδ^ο.
Δῶρον αἰζώοιο Θεοῦ, δωτῆρ^ο ἑάων,
Ὁ ζε ΠΑΤΡΟΣ κρατεροῦ, μητέρ^ο ἔρν^ο ἀγνῆς:
Λαμπροτάτοι τεχθεὶς σκηπτοῦχε Φέρισε Τοκῆοιν,
Φῶς λαμπρόντε γίνε, πατριδ^ο ἢ ΠΑΤΗΡ.
Ὅυ πῶτ' ἀεργὸν ἐμδρ^ο χεῖ, ἀλλὰ μάλ' ἰφι στρατεύειν.
Σαῖς δ' αὔξοι ΧΡΙΣΤΟΣ ταῖς περσίδεσι μέν^ο.
Ὅύτως αἰχμητῆς κρατερός, περσάτης τε Φέρις^ο.
Πιστος δ' εὐθωτῆρ, κεδνός ἰδ' ἀρχὸς ἔση.
Ἐυθαλόεις ἦρας Ἐλεῶν σε ἔκυσεν ἡ ὨΡΑ,
Μήτηρ ποτιοτάτη, σοῖδ' ἐλεῶν μελετω.
Πρὸς σκολίαις χαλεπὸν σε, πρὸς αὐθαδεῶς τε χρῆ ἀγίον,
Τοῖς δ' ἰκέραις πρᾶοι, Ἐλεήμοι' εὐδμ.
Ὅτι μὲν ἀνπερήξης, μήπω Ἰπληθεο Χεῖς^ο,
Στήχε δ' ἐν εὐσεβίης αἰεὶ ἄσεις^ο ὀδοῖς.

ALIA

ALIA EIVSDEM GENE-
RIS GRATULATORIA A-
CROSTICHS.

M. Balthaf. Kifvvetteri: Servestæ ad Barth.
Ludirectoris.

R *Visus Anhaltino germen de stemmate surgit:*
O nova spes patria, prasidiumq; novum.
D *ante Deo, servante Deo, viret Ascanis aula,*
O rnementum ingens, Imperiiq; jubar.
L *umen, honos, nomenq;, poli dum sidera clarent,*
P ulcrum clarebit stirpis Anhaltiaca:
H *umidus è tepido donec liquor aere stillat,*
V irtus stillabit purpureusq; vigor.
S *cilicet hac pulcra est merces pietatis avita,*
Q ua dedit hospitium, CHRISTE, perenne tibi.
V *nica fert pietas longævi seminis hortum:*
I mpietas vegeta posteritate caret.
N *unc at Anhaltini fastigia celsa RODOLPHVM*
T e servare decet stemmatis, atq; decus.
V *ive diu sed vive Deo: CHRISTVMq; FIDELI*
S *ANGVINE regnantem disce per arma sequi.*

B 3

IN NA.



IN NATALEM
XXX.

Illustrissimi Principis ac
Domini,

D. R. VDOLPHI,

PRINCIPIS ANHALTINI, CO-
MITIS ASCANIAE, DOMINI SER-
vestæ & Bernburgi, &c.

Carmen

Scriptum ab

*Alberto Voito Confectore Scholæ
Servestanae.*

Anno dñi 1605.
Die XXVIII. Octobris.



Servestæ, Excudebat Iohannes Schleer, Anno 1605.



Carmen in Natalem

XXX.

Illustrissimi Principis ac Domini,

D. RVDOLPHI,
PRINCIPIS ANHALTINI, &c.



Vi modò mortiferâ ploravi falce petitem
Virginei decoris, RUTA super Ascane, florem,
Christjano, Amaliam Iuljanam patre creatam;
Lætior exurgit jam nunc mihi carminis ordo,
Dicere dum bona verba jubet, linguisq; favere

Octobri, septena quater Lux, mense (creato
RVDolpho, rerVm Domino regVm qVe, secVndo)
Quæ te, quæ dias lucis produxit in oras,
Dijs genite, & geniture Deos RVDOLPHE, vetustum
Qui genus Aicaniâ millesimus arbore ducis!
Illo mella die passim justissima tellus
Effudit, brumaq; novos per prata colores
Sponte dedit, vulgoq; novos spiravit odores.
Tunc & Solis equos, tunc exultasse choreis
Sidera cuncta ferunt; tunc portitor arduus Helles,
Dux ARIES dux ipse gregis, Ductorq; Quiritum
Stellantum coeli per fulgida templa Quiritum,
Sub mediâ quasi CORDE poli, decumamq; per arcem
Cornibus auratis aurato vellere fulsit,
Fataq; signiferum lustrans duodena per orbem
Militiam superum, & castra omnia movit & astra,
Movit & ipse caput, gyros spirasq; Draconis,

Hic,

Hic, ubi bis quintam fatis super æthere portam
Fluminei peragrant foecundo sidere pisces :
Possidet undecimam Taurus, Geminiq; sequentem:
Prima domus Cancrum, atque Secunda & Tertia præfert
Spectandum vastâ Nemeæum mole Leonem;
Virgo colit quartam, atq; utramq; examinat æquâ
Fortunam lætamq; Ducis lævamq; bilance.
Scorpius illustrat graviori sidere quintam;
Obtinet Arcitenens sextam : fert septima Caprum :
Octavam nonamque puer Phryx perluit urnâ.

Sol, Venus, & Majâ genitus quintam occupat ædem,
Fatali in tabulâ sedemque domumque frequentant
Qua nati natorum, & qui nascuntur ab illis,
Proveniunt, seriemque Heroum in secla propagant.

Saturnumq; valetudo patrem excipit hospes,
Qui tibi maturam sano cum corpore mentem
Confert, qui senium, qui longos nunciat annos.

Dulcis Amicitiaë gremio se credere gaudet
Iuppiter, hic magnos ubi connumeramus amicos,
Regaleisq; toros, alto tibi sanguine junctos,
Sceptriferi ad Boreæ tractus, Solemque cadentem.
Et sacri capita Imperii, septemq; viratûs.

Luna penum curat seræ usq; ad limina mortis.
Educitq; canes venatum, & sufficit ultrò
Retia rara, plagas, lato venabula ferro :
Septenaque poli THALAMVM tibi sternit in aulâ,
Quò te castus Hymen quò te Venus aurea ducens
Iungat ATESTINA illustrem tibi stirpe maritam.
Est præsto pincerna Iovis, calicesque coronat,
Exhilaratque tuas generoso nectare menfas.

Ast octava domus Martem mortemque sub vno
Culmine consociat, quòd dulce sit atque decorum
Pugnando ob patriam Mortem cum Marte pacisci:

Qualia



Qualia fata tui fratres subiere gemelli,
Ex acie sibi quos ceu pignora propria Mavors
Transcripsit Geticus, quorum nomenque, decusque
Cæsaris ex albo nullo delebitur ævo.

Interea hæc cœlo dum teste geruntur, & astris,
Stamina concinnant & ipso vellere Parcæ
Arjetis auricomi MEDIO qui fulsit Olympo,
Quæ postquam tremulos flexerunt sedibus artus,
Æternisque Deæ pensis, ac divite lanâ,
Centum involventes sinuosis orbibus orbes,
Fatalem finguntque colum, digitisque coruscum
Dum tenuant in fila globum, nent longius ævum,
Nent fortunatos generosi Principis annos,
Et felix numerosa vovent per secula fatum.

Nec mora, versato dum torquent aurea fuso
Vellera Lanificæ, fatalia pone sororum
Fila MINERVA legit, quibus ordine & arte magistrâ
Digestis, aulæa parat, memorandaque texta
Suspendit solido factis adamante columnis.
Excubat ad latus omne, infra circumque supraque
Alma trias Charitum, qualem depinxit Homerus
Mulciberi astantem, spirantiaque ora tuentur
Divorum atque hominum, stantumque in curribus altis
Regumque, procerumque, & partos mille triumphos,
Nymphæque, Aonidumque novensilis ordo Dearum
Aulæum triplici ter lustravere choreâ.
E quibus VRANIE, cui nosse arcana Deorum
Concessum est, opus omnè, & incnarrabile textum
Explicat, atque notas & sensa latentia pandit
Carmine, quo cœlum tempestatesque serenat,
Luce tibi sacrâ quam candidus vnio signat:
O pater ô patriæ RVDOLPHE decusque Deusque!
Nec modo præterita ipsa aperit, præsentiaque addit,

C

Sed

Sed ventura notat : tanta est fiducia caelo !

Nam canit Ascaniæ intextos longo ordine patres,
Insignes pace & bello , ferroq; potentes,
Fataq; virtutesq; virum : super omnia festam
Relligione Dei SERvatam in secula VESTAM,
Tum proavos, & avos , Ioachimumque parentem
Ernestum in primis, Eleonoramque parentem
V Virtenbergiadum illustri de sanguine natam.

Tum canit, ut Solem lucemque aspexeris almam
Hic, vbi piniferâ cincta HAZKERODA coronâ
Officium matri primum obstetricis obivit,
Et manibus Lucina gravem succis que benignis
Demulsit, leniq; vterum perduxit olivo :
Nascentemq; vlnis primæ excepere Camœnæ :
Quæ simul & matrem complexæ, & fronte serenâ
Oscula libârunt parvo felicia nato ;
Melleq; , & Acnio tinxerunt labra liquore,
Et facili pictas straverunt Numine cunas,
Divoq; infantem laverunt nectare Nymphæ,
Et Charites fovere deæ , & decus omne dedere,
Quod Duce Naturâ atq; Deo, sanctoque parentum
Exemplo monstrante viam, fidisq; Magistris
Ad iustum accrevit pulchro cum corpore robur ;
Tanto dum studio mens ambulat, ordine tanto
Per suaveis Musarum hortos, per amœna vireta
Fortunatorum nemorum , sedesque beatas ;
Et virideis Hæmi saltus , Pindi que peragrat :
Vnde tibi flores excerpis, & aurea dicta,
Aurea , & æternâ semper dignissima vitâ,
Sicut apes dum ruris opes populantur amœnas ;
Scriptaque docta virum Latîâ linguâ atque Pelasgâ
Nocturnâ versasque manu, versasque divrnâ,
Historialque omnes, & prisca exempla revisis,

Ac Ro



Ac Romanarum inquiris mysteria Legum;
Iusticiæq; paras sacratum scandere collem.
Nec minùs assiduè sacros evolvere libros
A puero es solitus, puerosq; haurire liquores
Fontibus, irrigui rotantibus æthere cœli:
Vnde petis sacros monitus, præceptaq; Christi,
Carmina, vota, preces, solatiaq; ultima vitæ,
Inprimisq; fidem quâ solâ sidera adimus.
Vnde etiam errores hominum, & ludibria mundi
Despicere, & varios discis componere motus,
Inflammarè pios, & refrenare feroces.

Interea Mavors simul & Tritonia Pallas
Muneribus bellorum, & magno principe dignis
Militiæ officiis te instruxit, & acerbis armis;
Tempus utrumq; docens, quoq; est Prudentia laudi
Civica, quoq; sonat tristi Bellona flagello,
Ut facile haud quisquam tibi se componere certet
Tot laudes, plaususq; vitùm, tot puncta ferenti.
Te cassis, te crista decet, te lancea dextram
Implens, quiq; latus tibi munit aheneus ensis;
Sive, ubi prælustri regum præsentè coronâ,
Et populis magno claudentibus agmine campum,
Æripedi das frena ferro, seu tardiùs ire
Effusum celere inque jubes parere lupatis:
Sive ubi contracto sit opus discurrere gyro,
Seu laxo remeare sinu, seu quadrupedantem
Insultare solo, & gressus glomerare superbos,
Impete seu recto appensum decurrere ad orbem:
Seu quoties vario varij in certaminis æstu
Multa arte, & validis contractum hastæ lacertis
Projiciens, rapidum consurgis victor in enses:
Seu, quoties fictis pugnæ simulacra sub armis,
Æscanij ludum, Trojs de nomine Trojam,

C 2

Spectar.



Spectantes latè proceres docuisse laboras,
Ostendens quantum & valeat per talia virtus;
Vidimus & celeri gnarum certare sagittâ,
Et fixam volucris metam contingere p. u. n. b. o.
Non impune tibi sylvis sese offerat ales
Vlla, nec evadat pedibus pernicious unquam
Cervus in vmbroso saltu: quò ducit avitum
Venandi studium, ut mos est Regumq; Ducumq;
Dum vel mane novo, aut stratis de nocte relictis
Cuncta replet inflatis cornibus, omnia complex
Latratuq; canum, cursuq; & vocibus altis,
Donec te referas vastorum cæde madentem
Aprorum, & prædæ spoliis sylvestris onustum.
Hic, ubi sub dio perferre famemq; sitimq;
Discis, & ardentes radios tolerare geluq;
Et sævum quæcunq; decent spectacula Martem.
Musa canit, plenoq; arridet lumine cœlum.

Tum canit, ut studium peregrinas visere gentes.
Acre tibi fuerit, variaq; accedere terras,
Seu propè sive procul jaceant: quâ vergit ad Arcton
Seu quâ se tepidos radiis deflectit ad Austros,
Quaq; mari Oceano ferventes abluat axes,
Quaq; coloratis Phœbus consurgit ab Indis.
Ac veluti regina avium, cum crescere pennas
Sensit, & hamatos durefcere valdius vngueis,
Liberius iam tendit iter, matrisq; senile
Amplius haud vocat officium, nidisq; relictis
Evolat, & liquido spaciatur in æthere plaudens,
Despectatq; humiles terras, despectat & æquor;
Sic, simul ac teneris robur tibi crevit ab annis,
Continuò, monitis mentem formatus honestis,
Ac præcepta tenens Sophiæq;, artisq; Decoris,
Præcipuè tectus pietate & Numine Christi,

Laudis



Laudis amore flagras, arcesque, & patria regna
Linqvis, & externo virtutem quæris in orbe,
Lustrans illustransque plagas, urbesque superbas,
Velivolosque vagi tractus maris, altaque Ponti
Marmora; vbi mores cultusque habitusque locorum
Ingenia, & leges, linguas, fandi que lepores,
Arma virum, ritusque sacros, monumentaque prisca
Edidicisti, vt opes veras laudumque parares
Materiem & seriem, speculumque exempla que vitæ,
Atque penum; vnde tibi semper depromere possis,
Quæ facienda probes, & quæ culpata relinquis,
Regibus exemplar quondam gregibusque futurus.

Dania te agnato vidit spectacula REGI
Edere, & æquales excellere & esse supremum,
Cum populis patribusque omni ditione coactis.
Rexque, salutatus, felicique vnctus olivo
Acciperet sceptrum regni que insigne coronam.
Hic, vbi Regali toties certamine victor
Viribus Hector eras sub casside, casside demta
Pulcher es Æneæ Ascanius de sanguine visus.
Te pater Oceanus novit, Varnusque, Dravusque,
Te Nereus, Glaucique chorus, seniorque, Palæmon:
Et nymphae texere rates, rexere carinas.
Te videre Alpes, minitantes nubibus Alpes,
Intextum folus Dryadum, sparsumque corollis,
Quas celsæ obtulerant tibi Oreades, atque Napææ:
Cum FRATREM interea LVDOVICVM, ætate minorẽ,
Sed pietate patrem, sed gente & mente gemellum,
Matronaque & Rhodanus, Ligerisque, celerque Garumna
Exciperent, Ararisque, & grata Lutetia Musis,
Et Batavi, Scaldisque, & rursus Sequana, quando
Per varios casus freta per spumantia vectus
Ad Tamesim, & nostro diductos orbe Britannos.

C 3

Iret;

Iret, & augustas præsentilumine pompas
Spectaret, tantâ spectatus & ipse coronâ,
Dum Regem agnoscens juraverat, Anglia SCOTO.
Te vidit gelidis in montibus Appenninus,
Hannibal infulo quæ saxa recludit aceto,
Viq; , dolisq; viam per & invia, & avia fecit;
Te Mediolanum, Florentia. Genua vidit
Montes & si lo superantem saxa veredo:
Te vidit coluitque Bononia culta Camœnis,
Te Verona, & te vicina Placentia vidit,
Teutonicâ pacem bellumq; in fronte gerentem,
Deliciæque Italûm Senæ, & Ferrara dives,
Dives agris, dives politis in scœnore nummis:
Te Tyberis, viridi te vidit Mincius umbrâ,
Cum veteris cuperes iterum vestigia Romæ
Visere, Parthenopenque sacri monumenta Maronis,
Hippodromos, arcus, obeliscos, septa, Colossos,
Marmoraque & statuas, Regumq; Ducumq; sepulchra,
Ingenia artificum testantia, gesta virorum.
Pontificem ante alios solio gemmante sedentem,
Circum & purpureos gestantes fronte galeros
Vidisti; simul ut fastu calcatus & astu
Pontificem supplex Cæsar Fridericus adoret;
Romaq; ceu quintum post lustrum IV BILET aurô;
Quô veniam indulget sceleri, quô vendit Olympum.
Quid loquar Vrsinos, quid præca gente Columnas,
Et quid Atestinos, famâ super æthera notos,
Autonioque duces, consanguinitate propinquo:
Quorum facta, statumq; , & opes novisse, decu q;
Non postrema fuit tibi cura, nec ultima laudum,
Visa tibi regina maris, pulcerrima rerum
Vrbs Venetum visa est, sunt visæ Antenoris arces,
Et mare, quod supra Italiam quodq; alluit infra:

Piniferoq;

Piniferoq; velut Vesuli de vertice primùm
It Padus, exiguo sulcans lata pinguia rivo:
Pausilypiq; jugum, Sarnusq; , & celsa Vesuvi
Culmina, Bajanusq; sinus conjunctus Averno,
Multaq; Campanis circum miracula terris,
Quæ, nisi visa, fidem nullâ ratione merentur.

Felix! qui tanto rerum in discrimine, vitæ
Atq; viæ infameis scopulos & naufraga saxa
Festinâ potuit prætervexisse carinâ,
Præterijtq; citâ Seirenum littora puppi:
Quem non foeminei coetus, fucataq; regum
Purpura, nec rutilo splendor perstrinxit ab auro,
Nec mala Papicolæ flexit contagio turbæ:
Quemque inter geminæ nantem confinia mortis,
Nec Scyllæ fœdo consumsit more Voluptas,
Nec violenta suo conterruit ore Charybdis,
Pocula nec verbis Circes vertere nec herbis;
Quæ si cum focijs si fortè bibisset Vlystes,
Vixisset canis immundus, & amica luto sus:
Quos meritò mala pœna manet, quos tortor, & vltor
Orcus, & horribili mors sempiterna flagello.
Te, RVDOLPHE, decus, virtus & gloria stipant,
Regressum ad patrias fatis felicibus oras.


Et miramur adhuc quam tanta redundet
Dexteritas ab origine: quo Prudentia fonte
Tanta fluat, populos vrbes arcelsq; regendi,
Quas reficis, condisque novâ sub sidera mole,
Aonidum, Themidis, Pietatis fautor & auctor.
Nunc scio, quod doctum perhibent dixisse Platonem:
Tum populos, vrbesque in honore & flore futuras,
Cum studijs Sophiæ ducti, virtute magistrâ,
Ad clavum sedeant: vel, cum, qui sceptrâ capessunt,
Aurea perdilcant veterum præcepta Sophorum.

Et



Et patriæ dubitamus adhuc agnoscere patrem?
Quis mihi carmina, quis Musas, quis numina Phœbi?
Salve, dive Pater patriæ, votisque, sacrisque
Carminibus vatum, precibusque adsuesce vocari,
Quodq; facis, porro Templisque Scholisque favere,
Vestamque antiquam, sacraque intemerata fovere;
Inclyte Dux salve! Lux illustrissima salve,
Lumenq; & columen, Numenq; RVDOLPHE, tuorum.

FINIS.



EPITHALA.

Illustrissimo Principi ac
Domino,

D. R. VDOLPHO,
PRINCIPI ANHALTINO, CO-
MITI ASCANIAE, DOMINO SER-
vestæ & Bernburgi, &c.

*Cum illustrissima Principe ac
Dominâ, Dn.*

DOROTHEA HEDWIGE,
REVERENDISS. ET ILLV-
stris. PR, ac Domini,

*Dn. HENRICI IVLII,
Episcopi Halberstad. Ducis Brunsvic. &
Luneburg. &c. Filiâ*

Nuptiar celebranti VVolterbyti A. D. XXIX.
Decemb Anno 1605. Sponsamq; illustrissimam
domitiam ducenti A. D. Calend. Martij
Anno 1606.

Carmen scriptum ab
ALBERTO VOITO CONRECTO.
re Scholæ Servestanæ.

Servestæ, Excudebat Iohannes Schleer, Anno M. DC. VI.



D
I
Q
S
O
D
T
N
I
I
S
A
C
C
A
E





EPITHALAMIVM

Carmen.



Naus habet finem, finem, RVDOL-
PHE, dolori (aulam.
Pone tuo, Ascaniam luctu qui miscuit
Iam Soror, & Saxo affinis, jam Filia Fra-
tris, (sorore,
Iam duce Tecciaco, & vestra prognata
Spes nova Saxoniae, sacra spes altera V-
TAE,

Debita naturae solverunt, debita morti,
Et factis cessere suis, meliora securis;
Quorum semper honos, nomen, laudesq; manebunt.
Tu quoque solve libens naturae debita, Princeps!
Sed laeto magis auspicio, & melioribus anni
Ominibus, coeloq; novas volvente Calendas.
Debita solve libens naturae, & gigne vicissim,
Te qualem & quantum tanti genuere Parentes;
Nomenque Ascanium generando in secla propaga-
Iubila post fletus redeant, post nubila Phoebus.
Ianus adest, novus annus adest, nova vota, novusq;
Sol redit ad nostrum radijs felicibus orbem,
Atq; novo super axe domum tibi ducit habendam
Gvelforum illustri generosam stirpe Maritam:
Quam Pietas, quam casta Fides, quam Gloria gentis
Antiquae, & Iuno comitatur pronuba, Amorunq;
Et genus atq; Venus, non probris illa nefandis,

D 2

Non

Non illa incestis Fratrum, Matrumque Patrumque
Spurca libidinibus, summæ que infamia coeli:
Sed pia, sed sancta, & fidi bona Mater amoris:
Qualis ubi os terris, cæloque ostentat honestum
Lucifer ante diem, seramque ante Hesperus umbram.
Ergo age, dive Pater Patriæ, illustrissime Princeps,
Ergo maritales animo jam concipe curas,
Nec Pater & Pastor modò, sed bonus esse Maritus
Perge, tuo exemplar pangens memorabile civi.

Tuque Dei dono Ascaniis concredita terris
Divis orta bonis, divos paritura Deasque,
DOROTHEE HEDVVIGIS, Superum venerabile munus.
Tolle pedem aureolum, Sorabisque habitata colonis
Moenia, Arestinam late loca fronte serenans,
Ingredere! & vestiga oculis, animoque require,
Quem sonipes geminis, & multo splendidus auro,
In mediis tanto portat sessore superbus,
I, sequere! præcessit eques, præcessit ad arcem,
Os, humerosque Deo similis, tua maxima cura:
Qui te sub leges vocat & sua jura; benignus
Qui Dominus blando Dominam te more salutat.
Tu sexum venerare marem, & reverenter habeto,
Imperioque, volens, parere adsuesce virili;
Disce iugum, sed cum caro tolerare jugali:
Disce pati æqualem victrix patiendo futura.
Salve Iuliadum decus, & quæ nomine præfers,
Munera certa Deum, unde venis, tecum affer Olympo:
Ac populis quos, Diva, vides tibi pandere portas,
Sis bona, sis felixque tuis, & concipe curam,
Virgine deposita, Matris Patriæ, atque Maritæ,
Nec te poeniteat confineis jungere terras,
Nec breve iter turbet, neu te jactura propinqua.

Saxoniæ



Saxoniz afficiat, dilecti aut cura Parentis,
Aut Fratrum pietas, desideriumq; Sororum,
Dum patrio fles nata sinu, dum Matris amatæ
In gremio, Fratrumq; piis complexibus hæres,
Cognatosq; inter carâ cervice moraris,
Dum gemitu simul vrbs triplex, simul ægra supremo
Digressu, & lacrumans vultu intabescit ituræ;
Effusiq; domo cives è moenibus altis
Prospectant, mixtæque viris longo ordine Matres
Vadentem ominibus faustis, votisque sequuntur.

Hæc etiam ora tibi Patria est, hic gente propinqui,
Hic stirpis pars multa tuæ, pars sanguinis ampla,
Officiis, pactisque, & Legum foedere juncta,
Hic domus, Hic regio est, vbi nullo tempore abesse
Laudibus à magnis poteris, tamâque tuorum.
Ecquis enim Heroum Ascanijs non gaudet amicis?
Quâque feres gressum, quoquò tua lumina vertes,
Aut generis socios, aut alto sanguine junctos
Invenies, Maternæ imprimis pignora gentis,
Cognatosq; toros Regum, septemq; virorum,
Quorum multiplici confirmas foedera vinclo.
Hoc nemus antiquum, sylva hæc est illa vetusta,
Harciniis enata jugis, cui præsidet VRSVS,
Nobilis hæc, nemorumq; Iovi, quæ maxima frondet
ÆSCVLVS est, quam non hyemes, non flabra, nec imbres
Convellunt, immota manet, multosque per annos
Multa virum volvens durando secula vincit:
Quæ fortes latè ramos, & brachia pandens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram:
Sub quâ casta Fides, sub qua pax aurea gratam,
Et Themis, & Musæ captant, per fata, quietem.
ERAXINVS hæc illa est, mediis pulcerrima sylvis,

D 3

Vnde

Vnde altæ opravêre trabes, antesque ruentis
Romulidum LVCI socium ad sacra robora fulcrum,
Vnde sibi stirpes spoliatae compare casti
Materiem petiere Tori, tædasque novellas
Ex voto legere viri, juvenesque senesque;
Hinc avus ille tuus Saxo Septemvir, & alter
Marchio septemvir consorte statumine plantæ
Ritè Maritarunt viduatas vitibus vltimos;
Septemvirque Palatinus Fratri, (ecce!) Rudolphi,
Diva, tui, consobrinam ex Patruo CASIMIRO
Iunxit & ipse suam: propriamque d'cavit Anhalto
Saxonis Augusti neptem, Regisque proneptem,
Quorum hic & proavus tuus, ille Avus, atque ita per te
Ascaniusque tuus, Princeps, Janusque, Georgus
Coniugio affines fiunt, qui sanguine Fratres;
Tàm bene Anhaltinis inter se convenit VRSIS.
Quid loquar? ut Matris fraterde nomine CHRISTI
Nomen habens Saxo, dum fata Deusque, sinebant
Ensifer, Ascanium gaudentem nomine CHRISTI
Suspexitque ducem, & fratris dilexit amore.
Vnaque non solum Ascanio de nomine tellus
Clarescit, sed laus & gloria gentis Anhaltæ
Solis utramque domum meritis famaque replevit.
Nullaque Teutonico (liceat mihi nota fateri)
Sanguine clara domus Pietate & stirpe vetusta,
Antiquaque Fide in tantum processit Honorem.

Omni que ut desint, quæ rara, & cara feruntur,
Quem sequeris, Patris, Fratrumque, idemque sororum,
Matrisque ipsius tuus vxor præstet amorem,
Mox etiam his cunctis quod præstet amore futurus,
Dum ligat unanimi generis, cordique, torique
Pace duos Deus, & de binis efficit unum,

Quod



Quodq; rei caput est, quod classem ante omnia ducit;
Hic caput, hic Frater Christus, communia cuius
Membra sumus, caput & corpus commune professi:
Hic Pater ipse Deus, sanctorum Ecclesia Mater,
Patriaque hic, cuius civem esse amplissima laus est:
Nec tibi religio sit, Religione teneri,
Nobiscumque sacris de fontibus Israelis
Manantes rivos, laticesque haurire salutis;
Quos sancti proceres ante & post secula Christi,
Quos & Lutherus quos & fodere Philippus,
Teutoniaq; ducum vel gloria prima GEORGVS;
Ascanius, diu quem non trivisse tabellum
Poenituit verbo, populosq; docere, sacraq;
Esse Sacerdotem Vestæ, Christiq; ministrum.
Non ignara adeo gestamus pectora Veri,
Nec tam aversus equos Sol Christus ab Ascane terra
Iungit, ut acculat pietatem ignobile vulgus,
Saltantum crepitu Corybantum, & vocibus aspris,
Vocibus & facibus furiatum, cæstroq; canoro.
Nullæ hic insidiæ tales, absiste vereri;
Non Proteus, non Metra later, rectisq; cothurni
Compositi fabricis. Neu sit dubitabile verum,
Fas mihi sit niveis CVRRVM vidisse quadrigis,
Quali more solent res saepe videre Poëtæ,
Quò te quò patrias Sponsus deducet ad arces;
Quem non Vulcanus, claudus Faber ille Deorum
Nescio quis, scelerata inculpans furta Deorum,
Sed manus artificum celatum opus, atque politum
Condidit affibere, atque sacris latus omne figuris
Intus & externis supra distinxit & infra.
Hic ubi picta notis, ubi sculpta, & scripta putab'is
Quæ capita, & fidei articulos, (quos dicimus) alta,

Quæ

Quæq; ad eò unanimi æternæ monumenta salutis
Discimus assensu, vobiscumq; ore fatemur,
Principiò, vt Legem Deus edidit ore tonanti
Monte super Sinai, tabulis & marmore scriptam,
Quâq; quid Esse suū, & quid Velle sit, usq; profatur:
Vtq; Evangelij condant nova dogmata Christus,
Iratum flectens Patrem Themidosque rigorem,
Atque luens proprio mundi peccata cruore,
Afferat ut cœlo turbam pietate fidelem.

Denique ne ficto, ne te quasi carmine picto,
Atque per ambages, & longa exordia moremur,
Credimus, (ecce!) Deum in Patrem, cui summa potestas;
Qui mare, qui terras, qui cœlum & cuncta creavit;
Hinc contra Samium, contra Ariam, Eunomiumq;
Nestorium contra, contra Eutychem impia scripta,
Impia perpetuâ penitus damnanda liturâ,
Flaccidaque aduersus monstrosi crimina Flacci,
Credimus in Natum, Christum, Patris unicum Iesum,
Æternum, æqualem Dominumq; Deumq; parenti,
Quem Sancto peperit conceptum Flamine Virgo:
Qui passus mala multa, cruci, damnante Pilato,
Affixus, letum subiit; claususq; sepulchro
Infera lustravit loca: surgensque inde revixit,
Sole ter exorto: conscendit ad astra, sedetque
Ad dextram Patris, unde ultor, justusque redibit
Viventum pariter Iudex vitæque carentum.
Contra etiam ac Macedo, & sancti spiraminis hostes,
Credimus in Sanctum Spiramen, sancta piorum
Agmina ubique fovens semper, gratisque remitti
Delicta & noxas; dum corpora functa sepulchris
Surgant, & nullis claudatur finibus ævum.

Tum petimus, Superum quæ vult Pater ipse rogari:

Vt



Vt celebrata sui sanctescat gloria, honorque
Nominis: adveniat regnum, fiatque voluntas:
Nos hodie pascat; condonet debita: parcat
Tentando fragiles; defendat ab hoste, malisque.

Certaque nos teneat tanti ut fiducia voti,
Dia salutiferis firmamus pacta sigillis:
Nilque exorcismos, commentaque vana morati,
Rite salutari infantes lustramus in unda.
Oblatos Christo cives, nomenque professos,
Rite celebramus convivium mystica Coenae,
Participes Carnis Christi, fusi que cruoris,
Soli additi jurare in verba Magistri,
Qui Via, qui Vita est, qui norma & regula Veri.
Summa carnivorum procul hinc, & ruma, & ora
Cruda Capharnaidum, procul hinc mera signa crepantes:
Missa que Tartareo Cerealis Eleusis ab antro.

Rite magistratum colimus, sanctumque Senatum.
Rite TORVM instruimus, sacra naturamque secuti:
Postquam pacta fides thalami, cum compare Sponsus,
Mularumque choro latis stipatus amicis
Procedit, delubra petit: comitisque sacerdos
Praefatur Iuperos, thalami praefatur honorem:
Vt Paradisiacis sancitus hic ordo sit hortis,
Dum referebat adhuc Adamus imagine Divos:
Utque sit ante omnes prima haec lex condita leges:
Ut sit amicitiae nervus firmissimus: utque
Natus honestatæ tædas è coniuge Christus;
Utque merum conviva è Doridos hauserit urna.
Commodaque enumerat, quot Verna rosaria flores,
Hyblaque habet quot apes, quot sidera continet æther.
Hinc Sponsi officium memorat, munusque Maritæ,
Fata statumque canens, partisque utriusque labores:

E

Ipsa

Sponsa caput, Dominumq; marem agnoscatq; colatq;
Sit pia, sit studiosa domus, ac pareat ultrò,
Quæq; paranda parat, pariatq; & parta tueri
Dilcat, & assiduâ formet sua pignora curâ.
Ipse nec è pedibus, ceu nec de vertice sumtam,
Sed costam lateri exemptam, cordiq; propinquam
Noverit, & sociam fido amplectatur amore,
Non aliter cari proprios quàm corporis artus;
Sponsa velut Christo est dilecta Ecclesia Sponso,
De lateris recreata haustu, atque extructa cruenti.
Ergo animo jussos obeat dextraq; labores,
Quos & conditio, & vitæ quos postulat usus,
Sacilegi quamvis ob furta luenda parentis
Pro molli violâ, pro purpureo Narcisso
Carduus, & spinis surgat Palurus acutis,
Lappæq; tribuliq;, interq; nitentia culta
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.
Interea, amborum jungens per mutua dextras,
Fœdera, teste Deo ter majestate corusco,
Sancit, & æterno jungit duo pectora vinclo,
CONIVGIUMq; vocat porrò, & benedicere pergit,
Inde auro, gemmisq; gravem radiantibus orbem
Sponsa capit digito, memorabile pignus amoris;
Quali mutuiter mactatur dote maritus.
Fausta q; certatim convivæ fata precantur.
Tùm pietate gravem precibusq; imitantur amicum,
Accincti dapibus, structisque ex ordine mensis,
Postquam prima quies epulis, Genioque litatum,
Gratia Dijs agitur superis, ducibusq; benignis!
Differitur placidè; prout cuiq; est copia rerum,
Prout cuiq; est animus, saltatur, luditur, itur,
Propter dormitur, & cætera sacra sequuntur;

Quæ



Quæ veneranda sciunt, quibus est ea cura, mariti.
Tu modò, Diva, veni! tibi sacra torusq; paratas.
Nec dubita, quoniam fato connubia fiunt,
Hæc fato fieri quoq; , nec sine numine Christi:
Qui te qui multis lectam de millibus unam
VRSO conciliat concordi pace LEÆNAM.
Quæ facies, faciente Deo, cognoscat ut orbis,
Ecquæ progenies, ecquæ divina propago
Venit Anhaltinis semper clementibus aulis,
Semper Atestinis venit sublimibus aulis:
Vota eadem, tanta inter totq; negotia, PATRI
Magnanimo, quem castra vetant efferre potenti
Marte pedem; patriis prudens vbi consulit oris:
Mente tamen sequitur, generoso pectore præsens,
Promptus, & accinctus, sortemq; in utramq; paratus.
Parcere subjectis, aut debellare superbos.

F I N I S.



Handwritten text in a historical script, likely Latin or German, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 12 lines and is significantly faded and difficult to decipher.

F V I S



Nh 1236.

80

f



ULB Halle 3
 002 819 279


an 31 nur verknüpft JA → OL
 f1-5 # 40 Stück
 f23

VD 17 Ne



...m In Leiptsa

...m in ...

de





XXVII.

GRATVLATIO

In Natalem primum

D. RODOLPHI,
QVINTI EIVS NOMINIS
ASCANIAE PRINCI-
pis, &c.

ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS, AC DOMINI,
DOMINI IOACHIMI ERNESTI,
Principis Anhaltini, Comitis Ascaniae, Dominique
Servestæ & Bernburgi: &c. Domini sui clemen-
tissimi, quinti Filij: Nati Hartzgerodæ,
V. Calend. Novembris, ferijs Si-
monis & Iudæ, Hora Po-
meridiana octava.

Anno, quem cygnæ Moysis tantio notavit
hoc versu: Deut. 32.

Forls Vastabl IMplos gLaDIVs, & IntVs
paVor.

M. WOLEGANGI AMLINGI
Munersstadij Fr. Servestæ ad
Nicol. Pastoris.

ANNO DOMINI
M. D. LXXVI.